

CAPUT VI. DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

Circa baptismi effectus non parum tum a veteribus, tum a recentioribus hæreticis erratum est. Alii enim adeo baptismum depresserunt, ut cum manichæis assererent: *Nihil cuiquam salutis afferre* (1); tales sunt sociniani, arminiani, nec pauci recentiores protestantes, juxta quos, ut suo loco scripsimus, baptisma non est nisi ritus et cæremonia cooptationis in christianorum cœtum. Antiquiores protestantes cum Proclo, Origenista et messalianis contenderunt, per justificationem, quam baptismi ope consequimur, originale peccatum ejusque manifestationes, peccata scilicet actualia, non prorsus tolli, sed solum tegi, radi, aut non imputari, multo minus characterem per baptismum imprimi. Alii autem baptismi effectum adeo extollunt, ut doceant per ipsum non solum præterita peccata deleri, sed etiam futura; vel saltem cum Joviniano (*Apud August. ib. n. LXXXII.*) tenent semel adeptam per baptismum justificationem amitti non posse; vel denique christianorum peccata, quæ mortalia essent, fieri venialia. Hos omnes errores synodus Tridentina proscripsit. Ac primo quidem sess. V. can. V. *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in baptisate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed dicit tantum radi aut non imputari, anath. sit; in renatis enim nihil odit Deus tum sess. VII. can. VI. de bapt. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anath. sit; et can. X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anath. sit; ac demum can. XI. Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad penitentiam convertitur, anath. sit.*

Ex his patet non solum proscriptos esse quatuor præcipuos novatorum errores, nempe 1. per baptismum nullam gratiam conferri; 2. non penitus tolli originale peccatum una cum ceteris actualibus, si quæ sint; 3. inamissibile esse semel adeptam justificationem, aut peccata in baptizatis ex mortalibus venialia fieri; 4. deleri posse baptismi characterem vel amitti; sed præterea concupiscentiam, quæ in renatis adhuc superest, habere peccati proprie dicti rationem, qui est quintus novatorum error, quem his verbis eadem Tridentina synodus proscripsit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta*

disjecimus, partim autem ex se concidunt; siquidem auctoritates, quas adducit ex s. Bernardo ep. LXXVII. ex Petro Blesensi serm. XXII. de Trin. et serm. XXIV. in festo Jacobi: «Sufficit spiritus et aqua; sufficit spiritus et sanguis; si aquam non exclusit contemptus religionis, sed articulus necessitatis» quæ deprompta sunt ex s. Augustino, ac citantur pariter ab Hugone a s. Victore, non afficiunt nisi adultos, qui in casu necessitatis per baptismi votum salvari possunt; quod nos non inficiamur, imo contendimus.

(1) Ita S. Augustinus in lib. de Heresibus. Heresi XLVI.

synodus fatetur, et sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit, anath. sit (Sess. V. can. 5.).

Patet insuper veros ac præcipuos baptismi effectus ad quatuor revocari posse; primum scilicet et principalem esse gratiam justificationis et sanctitatis, qua labes primigenia et quævis alia noxa actualis tollitur; alterum vero, omnem per baptismum tolli pœnæ reatum in altera præsertim vita luendæ; tertium, per eum patere aditum ad Ecclesiam dum Christo tanquam membra capiti sociamur, et ad reliqua sacramenta percipiendâ jus acquiri; quartum denique, characterem imprimi in animis nostris.

Ne tamen actum agere videamur, propositum hic nobis non est, vel singulos recensitos errores refellere, vel expositos effectus singillatim propugnare. Quod enim spectat ad peccatorum abrasionem et tegumentum, tum ad justificationis inamissibilitatem vel ad concupiscentiæ fomitem, ea jam refellimus in Tractatu de Gratia (*Par. 2. cap. 2. ar. 1. et seqq.*); characterem vero imprimi nec deleri posse ostendimus in Tract. de Sacramentis in genere (*Cap. 2. Prop. 2.*). De aditu ad Ecclesiam et jure inde proveniente ad reliqua sacramenta, res per se patet, neque in controversiam ab adversariis vocatur. Restat præterea, ut agamus de gratia, qua per baptismum tollitur peccatum originale una cum peccatis reliquis, si quæ sint, in rite suscipiente baptismum, et omnis pœnæ reatus; quod sequenti propositione præstabimus.

PROPOSITIO. *Per D. N. J. C. gratiam quæ in baptismo confertur, reatus originalis peccati remittitur, ac tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.*

Est de fide, ut constat ex adducto can. V. sess. V. conc. Tridentini. Licet vero concilium in eo non loquatur expresse, nisi de reatu peccati originalis, prout ferebat ejus scopus; evidens tamen est per gratiam, quæ ope baptismi infunditur, tolli pariter reatum alterius cujuscumque peccati actualis; imo eum baptismus vocetur passim sacramentum renovationis, ac regenerationis, liquet per eandem gratiam, quæ in baptismo confertur, tolli etiam omnem pœnæ reatum, quæ quidem omnia complexi sumus in hæc propositione, ne longius quam par sit, progrediamur, cum eadem probationes hæc omnia simul conficiant.

Jam vero per baptismum gratiam conferri, qua omnia rite disposito (1) peccata deleantur, ostendunt apertissima Scripturarum testimonia. Ac primo

(1) Cum eadem prorsus dispositiones requirantur in adultis ad rite suscipiendum sacramentum baptismi, ac ad rite suscipiendum sacramentum penitentiae, de iis præterea agemus in hujus sacramenti tractatu.

quidem prænuntiatus hic effectus est per Ezechielem XXXVI. 25. iis verbis: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sed præcipue in N. T. præsertim Act. II. 38. ubi Petrus: *Baptizetur, inquit, unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum,* tum ib. XXII. 16. ubi Ananias sic Paulum affatur: *Baptizare, et ablue peccata tua.* Hoc ipsum pluribus declarat apostolus toto cap. VI. ep. ad Rom. ubi inter cætera v. 5. scribit: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus et v. 11. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in C. J. D. N.* et cap. VIII. 1. concludit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu; ut innumera prope alia sacrorum eloquiorum testimonia præteream, quæ significant, nos per baptismum abluï, mundari, renasci, sanctificari, Christum induere, etc.* Quibus palam fit, omnem prorsus cujusvis peccati reatum culpæ, tum pœnæ per baptismi gratiam auferri.

Nec alia unquam fuit catholica Ecclesiæ fides, ut patet ex symboli constantinopolitani articulo: *Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.* Hæc adeo in primitiva Ecclesia pervulgata erant, ut indidem ansam sumpserint christianæ religionis hostes Ecclesiam calumniandi, quod una aquæ abluitione sceleratos quosque et mulierculas criminibus oneratas in sinum suum reciperet ac puros efficeret, inter quos eminet Celsus (1). Ratio præterea potentissima hæc fuit, quare plures, ut superius vidimus, ad proveciorem ætatem, quandoque etiam ad extremam vitæ periodum baptismi susceptionem protraherent. Hinc denique Ecclesia, huic fidei articulo innixa, nunquam consuevit baptizatis ullum satisfactionis seu penitentiae onus injungere (2), secus ac se gesserit circa lapsos post baptismum in gravia peccata.

(1) Apud Origenem lib. III. cont. Celsum n. 51. Hæc eadem confirmat Gibbon in Hist. Casus imperii Romani cap. 15. Cf. quæ scripsimus in Tract. de Vera Rel. col. 156. sqq.

(2) Dixi baptizatis nullam satisfactionis aut penitentiae onus injunctum ab Ecclesia fuisse: nam baptisma penitentibus seu catechumenis, plura penitentiae opera eaque non levia injuncta fuisse nemo qui hospes non sit in christiana antiquitate, ignorat. Hæc fuso prosequitur inter ceteros Vicecomes op. cit. lib. III. c. 5. et seqq. Id ipsum dicitur de plena confessione peccatorum, quam præmittere debebant baptizandi, antequam ad sanctum lavacrum admitterentur, de qua passim veteres loquuntur. Satis nobis sit verba afferre Tertulliani, qui lib. de Bapt. cap. 20. inter ceteras pœnæ salutaris exercitationes et hæc commemorat, totius videlicet antea vitæ noxas cum proposito melioris vitæ consuetudinem confitendi: «Ingressuros baptismum, inquit, orationibus crebris, jejuniis et genuflectionibus, et pervigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro delictorum.» In quem locum cf. adnotati. de la Cerda. Huc referuntur quæ Act. XIX. 15. habentur, ut suo loco dicemus. Ceterum, de hac ipsa omnium singillatim peccatorum confessione, quæ præmittebatur baptismum cf. cit. auctorem loc. cit. cap. 3. nec non Albaspinæum *Observat.* lib. II. cap. 1. et seq. qui plura Patrum testimonia in hæc rem proferunt, quæ longum esset hic recensere. Nobis satis sit animadvertere Patres tanti fecisse hæc peccatorum confessionem ante baptismum, ut S. Basilii inter cetera, quæ adducit ad deterrendos catechumenos a dilatione baptismi usque ad mortem, et hæc causam urget Rom. IV. in s. baptismum dicens: *Quid expectas, ut beneficio febris et munere baptisma accipias? quando neque salutaris verba proferre poteris... non diligeret confiteri.* » Τὸ ἀναγκαῖον πορτοῦ οὗ ὄρον γινώσκου τὸ βάπτισμα; καὶ

Supervacaneum post hæc existimamus congerere Patrum testimonia ad id evincendum, quod tum ex prolatis Scripturarum oraculis, tum ex publicis factis et documentis luce ipsa meridiana clarius apparet (1).

DIFFICULTATES. *Obj. 1.* Sententiam theologorum, qui docebant per baptismum parvulis gratiam infundi, Clemens V. in concilio Viennensi tantummodo ut probabiliorem amplexus est, ergo ante concilium Florentinum et Tridentinum nondum erat exploratum, per baptismum gratiam conferri saltem ex opere operato infantibus. 2. Ad summum dici potest, per baptismum unicum tolli peccatum originale, juxta illud Joan. I. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Qua de causa 3. baptismus regenerationis sacramentum vocatur, quia per ipsum deletur quod carnali generatione contractum est. 4. Quod si adultis collatum quandoque dicitur baptisma in remissionem peccatorum, hæc remissio penitentiae tribuenda est, quæ baptismum præcedebat aut comitabatur juxta illud Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* 5. Deleto porro peccato, non omnem dimitti pœnæ reatum evidenter ostendunt illæ, quas vocant, pœnalitates a renatis tolerandæ, 6. quæ quomodo, sublata originali noxa, nempe causa, remaneant vel effectus, plane non intelligitur; certum enim est in baptizatis non minorem vigere in malum proclivitatem et difficultatem in bonum, ac ante baptismum. Ergo.

Resp. ad 1. Neg. Siquidem, ut suo loco ostendimus, quæstio agitata tunc temporis inter scholasticos non versabatur circa gratiæ collationem per baptismum, de quo nunquam in Ecclesia dubitatum est, sed circa ejusdem gratiæ naturam, an scilicet per modum habitus et qualitatis infunderetur nec ne, ad sensum peripateticæ philosophiæ. Hoc autem neque ante, neque post memorata concilia, unquam fidei articulum constituit (2).

Ad 2. Neg. Probationes, quæ a nobis allatæ sunt, contrarium evincunt; nec obest, quod in singulari dictum sit. *Ecce qui tollit peccatum mundi;* hic enim peccatum significat genus, ac sumitur pro quovis peccato (3).

Ad 3. Dist. Quatenus homo in Spiritu per baptismum renascitur, qui prius in carne natus erat, C.

ὁδὸ ἐπιζῆσαι δύνασαι τὰ σωτήρια ἔργα... οὐχ ὁμοιοῦσαι ἀπαλάξ, Ed. Maur. tom. II. p. 119.

(1) Cf. Trombelli. *Tract. de Sacram. t. v. Diss. XXVI.* cap. 1. art. 1. et seqq. ubi copiosissime documenta ex antiquitate collegit.

(2) Cf. Tract. de Grat. n. 475. n. (5) et n. 505. n. (1). Placet quæ docuimus confirmare auctoritate S. Augustini, cujus verba in ep. CLXXXVII. ad Dard. cap. 8. n. 76. luculentissima sunt. «Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam; cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quedam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.»

(3) In hæc expositionem facile concedunt non solum omnes catholici interpretes, verum etiam interpretes protestantes, sive antiquiores, ut patet ex Synopsi criticorum sacrorum in h. l. sive recentiores, Rosenmuller, Kvi-noel, etc. Hinc nulla jam superest de hæc expositione controversia.

quatenus illud solum deletur, quod in priori generatione ille contraxerat, N. Apostolus enim Rom. V. 15. scribit: *Non sicut delictum, ita et donum... nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

Ad 4. Dist. Tribuenda est penitentiae dispositio ut aiunt, seu tanquam conditioni sine qua non, C. efficienter, seu formaliter, N.

Ad 5. Dist. In hac vita ad agonem, et ad majorem cum Christo uniformitatem (1), C. in altera vita, N.

Ad 6. Dist. Sublata est causa in persona, C. in natura, quae vitata est, neque in praesenti vita ad integritatem a Christo restituta, N. (2); atque hinc etiam ratio patet, quare permaneat in renatis concupiscentiae fomes, ex quo illa in malum proclivitas ac difficultas in bonum proveniunt.

CAPUT VII. IN DOCTRINAM HACTENUS VINDICATAM SCHOLIA.

Duo potissimum sunt, circa quae nonnulla adiacere censuimus, nempe forma et subjectum huius sacramenti.

1. Ad formam quod attinet, inquirendum superest, num validum censeatur baptismum vel sub sola sanctissima Trinitatis invocatione, absque distincta singularum personarum mentione collatum; vel sub invocatione unius tantum personae; vel in nomine solius Jesu Christi. 2. Num saltem Apostoli ex quadam dispensatione contulerint baptismum in solo nomine Jesu Christi.

Primum placuit non paucis scholasticis, quos enumerat Domin. Soto (3), praecipue vero Cajetano, et Hadriano VI. in suis Commentariis, quos ante pontificatum conscripserat (4). Ex Heterodoxis hanc sententiam amplexus est Jo. Gerardus Vossius (5). Ve-

(1) Cf. Tract. de incarnatione. col. 1137, cum apposita annotatione.

(2) Apposuit s. Th. 3. p. q. 69. a. 5. ad 5. « Peccatum, inquit, originale hoc modo processit, quod primo persona infecta naturam, postmodum vero natura infecta personam. Christus vero converso ordine prius reparavit id quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparavit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed poenae huiusmodi respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideo isti defectus non tollentur, nisi in ultima reparatione naturae, per resurrectionem gloriosam. » Sed cf. totum art. cit. et seq. Vid. etiam Bellarm. de Bapt. cap. 15.

(3) In iv. lib. Sent. D. 5. quaest. un. ar. 6.

(4) In iv. q. 1. art. 2. quaest. un. 2.

(5) Disp. 2. de Baptismo, thesi 5. ubi hoc argumentum late prosequitur, ac patres adducit, qui sibi favere videntur, praesertim vero s. Ambrosium lib. 1. de Spiritu s. cap. 5. n. 42. « Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum s., fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum s. abneget, plenum est fidei sacramentum, etc. » Quo loco praecipue, advertente Bellarmino, moti sunt Ven. Beda, Nicolaus I., Petrus Lombardus, atque scholasticorum vulgus ad admitendum valorem baptismi in nomine solius Christi, aut alterius etiam divinae personae collati. Verum editores Maur. opp. s. Ambrosii ad cit. 1. observant longe aliam fuisse mentem s. doctoris in adductis verbis, nempe cum in Actis apostolicis traditur apostolos baptizasse in nomine Jesu, continet alias duas personas inclusas contineri ubi quaelibet divinarum personarum exprimitur. Ideoque non agere s. doctorum de forma baptismi, sed de verbis Act. apost. Nec

rum in praxi nulla ratione recedendum est a forma ab Ecclesia usurpata; reiterandum propterea sacrum lavacrum esset, si aliter administraretur. Imo Alexander VIII. hanc proposit. proscripsit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, praeteritis illis: ego te baptizo* (1).

Alterum placuit B. Thomae, qui propterea scripsit: *Ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo* (2). Ex antiquioribus scholasticis hoc pariter adoptarunt Albertus M., s. Bonaventura, Scotus, quem Scotista passim secuti sunt. Ex recentioribus scriptoribus hanc sententiam nervis omnibus defendere et illustrare aggressus est Card. Ursinus (3); ast nemini, quod sciam, hanc suam sententiam persuadere potuit, eamque acriter impugnavit Drouvenius (4), alique non pauci. Card. Gotti et Billuartius utramque opinionem, affirmantem scilicet et negantem probabilem censent, et exponunt S. Thomam ita, ut locutus potius fuerit *hypothetice* quam *absolute*; quod jam insinuaverant auctores catechismi Romani (Par. 2. cap. 2. § 15); qui tamen deinceps tenent, reapse apostolos baptizasse sub invocatione distincta trium personarum; quod vero legitur de baptismo dato in nomine Christi in Actis apostolicis, exponunt ad distinctionem baptismi a praecursore collati, qui dicebatur baptismum Joannis. Haec nobis videtur vera sententia (5).

II. Quod spectat ad baptismi subjectum, magna olim exstitit controversia inter Scotistas et Thomistas; num videlicet, invitis parentibus, infidelium in-

alia certe est mens s. Basilii, quem s. Ambrosius, ut in aliis, sic in hoc loco secutus est; id ipsum docet s. Athanasius in lib. de Trinit. n. 17, quos adducit Vossius pro s. Nicolai Observat. ad s. Th. Nat. Alex. diss. XIII. in soc. III. et Harduinus De bapt. in nomine Christi fortasse probabiliter censent, hoc loco s. Ambrosium de illa tantum fidei professione explicandum, quam qui baptizabantur adulti, edere solebant, jamque interrogati *credis in Patrem?* respondebant *credo*, et sic de duabus aliis personis. Hos igitur s. doctor, baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona rogati essent, baptismum tamen legitimum accepturos fuisse, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent. Certum enim est, s. Basilium lib. de Sp. s. cap. 12. et lib. v. in Eunom. cap. 5. et s. Ambrosium qui a s. Basilio non recedit lib. vii in Lucam n. 67. et lib. de mysteriis cap. 4. n. 20. et alibi aperte docere, nullum esse baptismum absque expressa trium divinarum personarum invocatione. Hinc ruit praecipuum fundamentum huius sententiae. Ceterum cf. aa. cit. et ex heterodoxis criticos sacros in cap. 28. Matth. et Guill. Beyerregium in annot. in can. L. et LI. apostolic. apud Cotelerium tom. II. pag. 468.

(1) Cf. Viva Damnatae theses, etc. in prop. XXVII. inter proscripitas ab Alex. VIII.

(2) 3. p. q. 66. a. 6. ad. 1. Porro s. Thomas in corpore articuli rejecerat sententiam illorum, qui censebant validum esse baptismum sub invocatione unius tantum personae administratum.

(3) In Diss. historica de Baptismo in nomine J. C. collato. Mediol. 1753. atque in Iudicii dissertationis de baptismo in nomine J. C. a sorbon. doctore (Drouvenio) objectis. Florent. 1753.

(4) De re sacramentaria lib. II. q. III. cap. 2.

(5) Cf. de toto hoc argumento Trombelli op. cit. tom. IV. diss. X. ubi collectum invenies quidquid fere de hac questione veteres ac recentiores auctores scripserunt.

fantes tingi possint. Affirmat Scotus cum suis, negat cum suis s. Thomas. Ecclesiae praxis Thomistarum sententiae favet. Praestat vero huic sententiae ad stipulari ipsis verbis quibus B. Thomas eam propugnat: *Maximam, inquit, habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus amulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini (audiant Janfenistae), vel Hieronymi vel cujuscunque doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod Judaeorum filii, invitis parentibus, baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judaeorum, invitis parentibus, filii baptizentur. Et huius ratio est duplex. Una quidem propter periculum fidei... Altera vero ratio est, quia repugnat iustitiae naturali, etc.* (2. 2. q. 10. a. 12.) Quas quidem rationes luculentissime evolvit. Rationes Scotistarum magis subtiles quam solidae videntur, quae expendi poterunt apud Estium, qui horum partes suscepit (1).

Launoium qui temere vellicat tum s. Thomam, tum Scotum, egregie confutavit P. Jo. Nicolai (2), et male fidei eum esse ostendit in textibus afferendis. Inepte autem synodus pistoriensis vetitum ab Ecclesia asserit baptizare infidelium filios invitis parentibus (3). Quippe, juxta Horatianum illud,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt

Illicitum pariter, atque a christianae pietatis spiritu alienum esse, quempiam adultum invitum ad ba-

(1) In IV. D. 6. § 2. Quamvis porro hic theologus probabiliter Scoti sententiam existimet, caute tamen ac prudenter addit: « In hac re, sicut in aliis multis, non tantum quid liceat, verum etiam quid expediat videndum est. Id quod etiam locum habere debet in altera questione huic cognata: An infideles, qui nunquam fidem susceperunt, possint licite compelli possint ad eam suscipiendam. Cujus affirmantem partem similiter tenet Scotus, aliis plerisque diversum asserentibus. »

(2) In duabus dissertationibus an. 1668. editis, nempe: *de baptismi antiqui usu; et de iudaeis aut quibuscumque infidelibus ad baptismum non cogendis.*

(3) *Acti et decreti del concilio Diocesano di Pistoia dell'anno 1786. sess. IV.*

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio veluti quaedam baptismi consummatio atque perfectio quovis tempore spectata fuit. In Ecclesiae christianae exordiis non solum adultis, verum etiam infantibus, mox post baptismum administrari

ptismum cogere, nemo inficiatur. Utrum vero ejusmodi baptismum ratum ac validum sit nec ne, disceptant inter se theologi. Verior et communior sententia stat pro ejus valore, quando quis timore inducitur ad illud suscipiendum, quia non censetur omnino et simpliciter invitus, qui ex timore nec gravi neque cadente in virum constantem movetur, ast de his consulantur theologiae moralis institutores.

Post ea quae de sacramentorum caeremoniis generaliter diximus, non est cur de peculiaribus baptismi ritibus in specie disseramus. Hi ritus, seu caeremoniae, non semper iidem fuerunt. Nonnulli in desuetudinem abierunt, alii semper retenti sunt (1). Id tantum adjicio tum temere Protestantibus penitus sustulisse exorcismorum formulam, quae a remotissima antiquitate in Ecclesia usurpata fuit (2), tum improvide synodum pistoriensem coarctasse facultatem concessam a tridentinis patribus assumendi duos patrinos sive susceptores, marem nempe et feminam, prout mos ubique fere obtinet, sub obtentu obsecrandi spiritui Ecclesiae a concilio Tridentino representatae (3). Hoc enim non sapit, nisi cuncta innovandi libidinem. Ast de his hactenus.

(1) Ex illis ritibus, qui adhuc usu obtinent, novem recensentur, qui baptismum praecedunt: aquae baptismalis consecratio, mos baptizandi ante fores ecclesiae, nominis impositio, catechismus, exorcismus, frontis alterumque partium obsignatio, manuum impositio, salis degustatio, salivae ad nares et aures delibatio. Quatuor comitantur baptismum: scilicet abrenuntiatio, sacri olei inunctio, fidei professio, et inquisitio voluntatis baptizandi. Tres denique eum subsequuntur: nempe chrismatis inunctio, vestis albae impositio, et ardentis cerei traditio, quae omnia in Rituali Romano servanda praecipuntur, de quibus consuli potest Bellarm. lib. de bapt. cap. 24. et seqq. De his praeterea ac de aliis, quae olim obtinebant, ac postea in desuetudinem abierunt cf. Martene de antiquis ritibus lib. I. cap. 1. et seqq. praecipue vero Jos. Vicecomitem, qui copiosissime de his omnibus egit in op. saepius laudato, *De antiquis baptismi ritibus et caeremoniis*. Ex heterodoxis hanc provinciam illustravit Jos. Biagham op. cit. *Originum Eccles.* tom. IV. lib. X. et seqq.

(2) Antiquiores protestantes accipites circa usum exorcismi in baptismi collatione se praebuerunt, aliis cum penitus abiecerint, aliis propugnantibus. Praecipue improbat Aegid. Hunnius in thesibus de atrogando exorcismo. Gerin. 1608. quem secutus est Jo. Melch. Kraff in *Ust. de exorcismo* Homb. 1750. Denique abrogari cepit. sec. superiorum in pluribus eorum coetibus, ut refert Wegsch. § 169. n. (2).

(3) « Stimiamo, inquit synodus. sess. IV., di secondare lo spirito della Chiesa, rappresentato dal general concilio di Trento col prescrivere che i maschi abbiano il solo compare, e le femmine la sola comare. » Sed cf. quae de hoc argumento scripsit Trombelli op. cit. tom. n. Diss. VI. sect. XV. Quaest. V. et seqq.

constuevit; quare secundo loco post baptismum in sacramentorum ordine confirmatio annumeratur.

Variis nominibus donata est, nempe ratione effectuum dicta est a veteribus *perfectio*, et *consummatio*, *sacramen-*